

**ACTA SYNODALIA  
SACROSANCTI CONCILII  
OECUMENICI VATICANI II**

**Schema “De oecumenismo”**

Interventi e testi di Mons. Giocondo M. Grotti

ACTA SYNODALIA  
SACROSANCTI CONCILII  
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN II  
PERIODUS SECUNDA

*PARS V*  
CONGREGATIONES GENERALES LXV-LXXIII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS  
MCMLXXIII

12

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI  
*Praelatus nullius Acrensis et Puruensis*

Nostro in schemate decreti de Oecumenismo, haec verba inveniuntur:  
a) *Quoad Ecclesias orientales separatas*: « ... Praetermittendum praeterea non est, Ecclesias orientales proprium ab origine habere thesaurum,

ex quo plura in rebus liturgicis, in traditione spirituali et in iuridico ordine, Ecclesia Occidentalis deprompsit » (pag. 20, linn. 27-30). « ... Haec consideratio (peculiaris condicionis) imprimis spectat ad fraternam communionem quam inter se profitentur in vita ecclesiastica, itemque ad antiquitatem et apostolicam originem quibus iure gloriantur » (pag. 21, linn. 11-14).

b) *Quoad communitates dissidentes inde a saec. XVI exortas*: « ... peculiari affinitate ac necessitudine iunguntur » (pag. 23, linn. 9-10). « ... illi namque veri fratres nostri cum caritate Christi vivere valent et supernaturalibus donis elevari possunt » (pag. 23, linn. 22-23); « ... Ex hac fidei professione vires sibi hauriunt, opitulante Dei gratia, ad vitam christianam haud sine magnanimitate et fortitudine probe agendam » (pag. 23, linn. 33-35).

c) *Quoad non christianos*: « ... eadem (principia oecumenismi), habita ratione diversae condicionis, applicari debent... hominibus non christianis » (pag. 3, linn. 3-4).

d) *Quoad Iudaeos vero*: « ... maxime autem hoc valet cum de Iudaeis agitur, quippe qui cum Ecclesia Christi speciali ratione coniungantur » (pag. 3, linn. 7-8).

Quibus omnibus perpensis, concludo: *nonne de oecumenismo agendum esset in schemate decreti de Ecclesia?*...

*Ratio* patet ex textibus allatis. Insuper notandum est: Quidquid est, bonum est (bonum et ens convertuntur) et Ecclesia in se recipit quidquid bonum est; ergo omnia praeter peccatum! Quapropter omne bonum quod in qualibet persona, actione aut religione invenitur, elementum commune est inter easdem et religionem christianam catholicam cui ipse Deus, suprema Bonitas et omnium bonorum fons, in tota plenitudine se communicavit per Verbum Incarnatum et Spiritum Sanctum. Ergo oecumenismus tendere debet ad omnes plene adducendos ad Ecclesiae universae apicem qui catholica Ecclesia constituitur.

ACTA SYNODALIA  
SACROSANCTI CONCILII  
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN II  
PERIODUS SECUNDA

*PARS VI*  
CONGREGATIONES GENERALES LXXIV-LXXIX  
SESSIO PUBLICA III



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS  
MCMLXXIII

17

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

*Praelatus nullius Acrensis et Puruensis*

Multa bona inveniuntur in hoc schemate decreti *de Oecumenismo*; tamen, mirandum est, post tot discussiones, nos adhuc invenire obscuritates, difficultates et ambagies quae ex non accurata notione Ecclesiae ortae sunt.

Huius meae affirmationis probationes invenietis in pagina octava fasciculi cui titulus « Emendationes super schema Decreti de Oecumenismo » et in ipsa prima pagina nostri schematis ubi sermo est de principiis oecumenismi; sic enim legimus:

Lin. 8: « in Ecclesia sua (Christus) mirabile unitatis sacramentum instituit ». Interrogo: sermo est de Eucharistico sacramento vel de Ecclesia ipsa ut sacramento?...

Lin. 12: « Ecclesia est Dei populus, Novi Foederis »; sed in schemate *de Ecclesia*, aliter et quidem diffuse, dissertum est tum de populo Dei tum de Ecclesia quae, ut dictum est, ab Abel iusto usque ad ultimum electum est.

Lin. 1: « De Ecclesiae unitate et unicitate ». Unitas desumitur ex indivisibilitate, sed unicitas — sit venia verbo — ex solitudine; unicus enim est qui solus est! Sed si Ecclesia est unica, quomodo loqui possumus de Oecumenismo et quidem cum ceteris Ecclesiis, ut legimus pluribus in locis textus nostri schematis?...

Et ex non accurata definitione Ecclesiae, gravissima difficultas quae oritur haec est: « *non satis constat, in schemate, cur quis debeat in Ecclesiam catholicam ingredi* », nam:

a) si Ecclesia est ab Abel iusto usque ad ultimum electum, ad quid?... Omnes iusti iam sunt in Ecclesia!

b) Si ipsum Concilium sermonem facit, in ipso schemate de Oecumenismo, de libertate religiosa, ad quid?...

Meo humili iudicio, oecumenismus est dynamismus Vitae et Veritatis qui, ut in divinis, ad unitatem, in pluralitate, ducit.

Mandatum Christi quod in schemate ut fundamentum oecumenismi ponitur, nec fundamentum est nec fundamentum esse potest quia non est mandatum, sed oratio tantum, et est ex abundantia. Nam ipsa redemptio, aiente S. Paulo, est congregatio dispersorum; attamen non unica, sed novissima ac perfectissima.

Ecclesia enim, omnimode universalis, quae ab Adam innocente seu ab Abel iusto perget usque ad ultimum electum, non est quid horizontale, sed *conicum et pyramidale*, scil. ad perfectiorem in dies formam a divina voluntate et caritate, *gradatim*, adductum; in cuius coni seu pyramidis vertice, nempe doctrinae et mediorum ad salutem plenitudine, a Deo perducta et locata est Ecclesiae novissima et definitiva forma quae catholica nuncupatur.

Ideoque qui scienter et volenter, ad illam ascendere renuit, divinae voluntati contradicit, Spiritum Sanctum contristat cuius opus contemnit, sicque a Dei gratia decedit, salutemque suam aeternam in discrimen adducit.

Ex hoc claro principio, sanus oritur oecumenismus, seu catholicorum hierarcharum fideliumque omnium, obligatio universos, sanctitate, oratione, aliisque aptis mediis ad Catholicae Ecclesiae summitatem alliciendi, inducendi, amanterque compellendi; sicut et obligatio universorum qui ad talem apicem nondum pervenerunt, divinam voluntatem, inspiratione vel praedica-

tionem aut studio perceptam, humiliter sincereque inquirendi, eique amanter se conformandi, ad Ecclesiae Catholicae perfectionem ascendentes; ut ita, secundum Aeterni consilium, et ipsi se sentiant totaliter factos, seu, ut italicè dicitur, « totalmente realizzati ».

Venerabiles Patres, hucusque dixi « mirandum est »; sed nunc addendum, pro sequenti verbo, « dolendum est ».

Dolendum est enim quod clarissimi Patres, confectores istius nostri schematis, in ipso primo capite ubi sermo de principiis oecumenismi catholici, aperte posuerunt doctrinam de collegio episcopali, quae doctrina, ut audivimus in aula istis in diebus ex ore plurimorum Patrum inter quos et purpurati et assertores collegii, non est definita et est difficilis definita.

Non est dolendum quod ii Patres suam ideam habeant sicut et nos nostram habemus, sed dolendum quia hanc ideam, nec definitam nec definibilem, in schemate posuerunt et quidem aperte, ipsi qui ex officio, ut ita dicam, extra et supra discussiones esse deberent et tam pulcherrime in pag. 17, lin. 21 asseruerunt « nil (esse) ab oecumenismo tam alienum quam ille falsus irenismus, quo puritas doctrinae catholicae detrimentum patitur vel eius sensus genuinus et certus obscuratur ».

Et quod peius, dolendum quia ideam sustentant citationibus quae vel non sunt ad rem vel vim probativam non habent. Cf. pag. 1, lin. 27 et notam 5:

a) textus: « ut fratrum suorum (Petrus) collegio praesesset »;

b) nota appositae: *Mt.* 16, 18 et *Mt.* 18, 18.

Prima citatio sic sonat: « Et ego dico Tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam ».

Quaero: ubi collegium?...

Citatio altera sic sonat: « Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo ».

Sed audiamus Origenem, auctorem praecellentem et omnem schismam praecedentem, hos ipsos textus collatos commentando: « ... si ad evangelica scripta animum diligenter attendamus, ibi *magnum* inveniemus *discrimen* et excellentiam eorum quae Petro prae iis quae aliis dicta sunt, etiam in his rebus quae Petrum inter eosque qui ter fratres obiurgaverunt *communes esse videntur*. Nec enim exigua differentia est claves non unius caeli Petrum sed plurimorum accepisse; et quaecumque super terram alligaverit, non in uno caelo sed in omnibus ligata esse, prae pluribus aliis qui super terram et alligant et solvunt, ita ut haec alligata et soluta sint non in caelis, sicut Petro concessum est; sed in uno caelo: nec enim eo penetrandi facultate pollent, quemadmodum Petrus, ut alligent vel solvant in omnibus caelis » (*Hom. in Mat.*).

*Conclusio:* a) Quae non sunt clara, clarificentur. b) Quae non sunt clara, in schemate non ponantur.



20

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

*Praelatus nullius Acrensis et Puruensis*

Plurimorum Patrum nomine alloqui audeo ad cap. II schematis *de Oecumenismo* quod attinet. Isto in capite, quamvis multa bona inveniantur, plura tamen sunt corrigenda et quaedam adiungenda. Ad rem!

1. *Nonnullae inveniuntur* — ut in tractatione tota — *ambagies* ex non bene tradita notione Ecclesiae, et *difficultates necnon contradictiones*.

Conferte, v. g., quae asseruntur de unitate et unicitate Ecclesiae in primo numero primi capituli et quae invenietis in n. 7 ubi christifideles hortantur ad orationem pro unitate Ecclesiae!

2. *Complures repetitiones pariter inveniuntur* et textus evadit onerosus et parum perspicuus. Videte, e. g., n. 10:

a) ad lin. 21 legimus: « integre et lucide exponatur »; ad lin. 31 legimus: « profunde et recte et perspicue exponamus »;

*b)* ad lin. 26 legimus: « qua intelligi possit etiam a fratribus separatis »; ad lin. 33 legimus: « ... qui ab omnibus possit vere comprehendi ». Et quae bis asseruntur in hoc numero, passim inveniuntur ceteris in numeris.

3. *Ordo materiae non placet* quia multoties non videtur ordo!

Id quod affirmo patet ex dictis hucusque et ex simplici adnotatione successionis idearum expositarum in cap. II.

4. *De B. Virgine Maria aliquid dicendum est*; sed alii iam locuti sunt de hac re, ergo sufficit tantummodo defectum memorare!

5. *Usus verborum nec semper placet* quia confusionem parit vel parere potest.

Videte, v. g., quae leguntur in prima linea introductionis ad pag. 15: « Ad omnium christifidelium *munus officiumque* pertinet »; interrogo, a quo vel a quibus munus et officium receperunt? Munus et officium non est aliquid sacerdotale et quidem hierarchicum?...

Pariter, meo humili iudicio, non satis illustrantur verba sequentia: *a)* « spiritualitas matrimonii » (pag. 15, lin. 16); *b)* « conversio cordis » (pag. 15, lin. 20); *c)* « propensio fraterna in alios » (pag. 15, lin. 23) etc.

6. *Citationes scripturisticae nec semper sunt ad rem*. Sic, v. g., citatio pulcherrima S. Pauli (*Eph.* 4, 1-3) quae in n. 5 invenitur loquitur de unitate ad intra non de unitate ad extra, scil. de unitate fidelium in unica Ecclesia, non vero de unitate plurium Ecclesiarum, uti oecumenismus expostulat.

Pariter *citationes faciendae sunt ad litteram*, non ergo quomodo invenimus in novissima linea pag. 15 (*Mt.* 20, 28).

7. *Ad unitatem Ecclesiarum fovendam*, plus quam mala nostra confiteri uti multi Patres voluerunt, meo humili iudicio, multum conferret recognoscere bona et vera quae apud separatos inveniuntur.

Haec elementa sunt veluti bases, ut ita dicam, ut pons aliquis ponatur inter nos et illos et dialogus reapse fiat.

8. Et si separati certo habent aliquid boni et veri, et illis competit « ius et officium » illud bonum diffundendi; ratio est quia bonum est diffusivum sui!

Unde in sano oecumenismo, laudandi sunt separati in suo conatu missionario sed monendi quia suprema Bonitas et fons omnium bonitatis in tota sua plenitudine se communicavit tantummodo Ecclesiae catholicae; unde habent obligationem, et quidem gravem, ex ipsa natura rerum, veritatem totalem amplectendi.

ACTA SYNODALIA  
SACROSANCTI CONCILII  
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III  
PERIODUS TERTIA

*PARS II*  
CONGREGATIONES GENERALES LXXXIII-LXXXIX



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS  
MCMLXXIV

11

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

*Praelatus nullius Acrensis et Puruensis*

Duo verba tantum, et schematicè quidem.

1. In schemate *de Oecumenismo*, meo humili iudicio, quamvis auditae sint voces contrariae, optime locantur Iudaei et ceteri omnes non christiani. En ratio!

Oecumenismus significat motum ad unitatem; catholicus significat universitatem; unde Oecumenismus catholicus significat motum ad unitatem omnium ho-

12

minum et non tantum in Christo credentium sed in Christo redemptorum. Et si tale erit, catholicus erit; secus, nec catholicus neque christianus quia Christus unionem omnium, sine ulla distinctione, seu acceptione personarum, in sua sacerdotali oratione, exoptavit: « ut omnes unum sint ».

Oecumenismus catholicus ergo aequae patet et patere debet ac redemptio.

1. Elementa communia, seu italice « punti di contatto » ut in pag. 3 a lin. 7 usque ad finem cap. IV exponuntur, sunt prorsus exquirenda et illustranda; tamen considerandum est quod hoc modo agendi, facilius bonos vicinos facimus quam catholicos! Nam ex sola propinquitate et affinitate, saepissime oritur amicitia, et amicitia tantum!

E contra, vis oecumenica nostri oecumenismi catholici provenit ab ipso consilio Dei, unico et immutabili, amplectente humanam speciem ab Ada innocente usque ad ultimum electum.

Amor enim cum sit Deus, a diligenda factura sua, etiamsi per peccatum deformata, numquam destitit; at missis Patriarchis, Moyse et Prophetis servis suis, clariorem in dies Verbi revelationem et ampliorem Spiritus effusionem contulit; quarum vi ac virtute, filios suos in Adamo lapsos atque dispersos ad unum secum indesinenter revocans, ac foedus successive iterans, novas iugiterque perfectiores Ecclesias, seu potius unius eiusdem universalis Ecclesiae formas praebuit, ab initiali ad patriarchalem, a patriarchali ad moisaico-propheticam, et ab hac ad Christi Ecclesiam, novissimam omnium ac perfectissimam, super eiusdem Christi angularem lapidem et Petri arcem fundatam, in quam cunctarum gentium transiret plenitudo et per quam omnia redire possent in integrum a quo sumpsere principium: Iesum Christum Dominum nostrum, Aeterni Patris Filium.

Ex quo colligitur Ecclesia esse aliquid conicum et pyramidale, scil. ad perfectiorem in dies formam a divina voluntate et caritate, gradatim, adductum; in cuius cono seu pyramidis vertice, nempe doctrinae et mediorum ad salutem plenitudine, a Deo perducta et locata est Ecclesia novissima et definitiva forma, quae catholica nuncupatur.

Ideoque qui scienter et volenter, ad illam ascendere renuit, divinae voluntati contradicit, Spiritum Sanctum contristat cuius opus contemnit, sicque a Dei gratia decedit, salutemque suam aeternam in discrimen adducit.

Ex hoc claro principio, sanus oritur oecumenismus, seu catholicorum hierarcharum fideliumque omnium spiritus et obligatio, universos sanctitate, oratione, verbo, aliisque aptis mediis ad catholicae Ecclesiae summitatem alliciendi, inducendi amanterque compellendi; sicut et universorum spiritus et obligatio, qui ad talem apicem nondum pervenerunt, divinae voluntati, inspiratione, eloquio aut studio perceptae, humiliter, sincere amanterque se conformandi, ad Ecclesiae catholicae culmen seu perfectionem ascendentes, ut ita, secundum Aeterni Patris consilium, et ipsi se sentiant totaliter factos (seu, ut italice dicitur, « totalmente realizzati »)...

REV. MUS. P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

*Praelatus nullius Acrensis et Puruensis*

1. Laudanda voluntas Concilii dialogum proponendi etiam cum acatholicis.

2. Tamen, quaerendum est: oecumenismus debet res uti sunt servare vel ad Christi Ecclesiam omnes attrahere et veluti manu ducere?... Nam, uti proponitur in omnibus suis capitibus et in declaratione de Iudaeis non apparet cur debeant in Ecclesiam catholicam ingredi. Immo, si ultima declaratio consideratur (de libertate religiosa) omnibus conceditur libertas manendi ubi sunt, in suo errore scil.!

3. Quando tandem Ecclesia catholica praesentatur Iudaeis, tali modo praesentatur ut a nobis catholicis fere non agnoscat! Nam de illa loquitur hisce verbis: « est continuatio populi illius (lin. 8)... cui revelationem in libris V. T. contentam (Deus) concredere voluit (lin. 9-10)... et cum tantum patrimonium christiani ex Iudaeis acceperint (lin. 17) ... ». Ecclesia catholica, e contra, non est haeres unius eiusdemque veritatis Iudaeis et christianis communis, sed, iuxta Aeterni Patris consilium, est quid conicum et verticale (non quid horizontale!), scil. ad perfectiorem in dies formam a Divina Voluntate et caritate, gradatim, adductum; in cuius coni seu pyramidis vertice, nempe doctrinae et mediorum ad salutem plenitudine, a Deo perducta et locata est Ecclesiae novissima et definitiva forma, quae catholica nuncupatur.

Judaismus ergo fuit initium et initium tantum; unde et ipsi Iudaei non modo sunt caritative tractandi sed et ipsi ad pleniorum formam tum veritatis et mediorum salutis sunt vocandi.

4. Quae de oecumenismo, in triplici capite et in duplici declaratione dicuntur, fortasse, meliori modo, sub hac luce essent exponenda:

a) Homo, a Deo creatus, ad Deum dirigitur, unde sub ratione finis defini potest « animal religiosum » et sub hac luce homo non est liber (contra atheismum!) quia libertas est mediorum et non finis!

b) Quatenus religiosus, etsi homo veram religionem non profiteatur, est omni respectu dignus quia Deum sincere quaerit (recta intentio); et quaevis religio, ut conamen ad unionem cum Deo fovendam, est pariter respectu digna; insuper, cum in ipso errore aliquid veri semper inveniatur, etiam religio falsa, sub hac luce, est digna respectu.

c) Tamen, si homo vult ad plenitudinem vitae, veritatis et mediorum pervenire, debet ingredi in Ecclesiam catholicam.

5. Oecumenismus et libertas religiosa alio in modo proposita:

a) nec fundamentum missionalis actionis Ecclesiae illustrat

b) nec ipsum opus missionale explicant, sed potius videntur negare.